



Opvs Theologicvm

Mauro, Silvestro

Romae, MDCLXXXVII

Q. 33. Vtrum pura creatura possit facere actus moraliter æquè bonos, ac meritorios, ac peccatum mortale est malum, & demeritorium.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-84131](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-84131)

destruere, moraliter, & imputatiuè ità se habet, ac si destrueret; sed si destrueret, peccatum illud destruendi Deum haberet malitiam simpliciter infinitam, ergo &c.

39. Respondeo, transeat antecedens, & primum consequens, ac distingo antecedens assumptum: apud Deum affectus, & voluntas habetur moraliter pro effectu, cum ex se est proportionata ad talem effectum causandum, concedo; cum est improporionata, nego antecedens; & nego consequentiam. Apud Deum affectus, & voluntas, quæ est proportionata ad causandum effectum, moraliter, & imputatiuè habetur pro effectu, quia talem effectum continet in sua virtute: cum autem est improporionata ad effectum causandum, moraliter, & imputatiuè non habetur pro effectu, quia illum non continet in sua virtute; sed voluntas occidendi hominem potest ex se in aliquo casu causare destructionem hominis; voluntas destruendi Deum in nullo casu potest causare destructionem Dei: ergo &c. Confirmatur: nam si voluntas, & affectus haberetur pro effectu, quem pro nullo casu potest causare, voluntas, qua aliquis veller dare Deo totum esse diuinum, moraliter esset æquè bona, ac si daret Deo esse diuinum, ac proinde haberet infinitam bonitatem simpliciter, quod nemo concedit; ergo &c. Voluntas igitur destruendi Deum, eumque priuandi ratione intrinseca vltimi finis, moraliter habet tantam malitiam, quantum est bonum, quo potest Deum priuare, vel potius quantum est debitum non priuandi Deum tali bono, vt dictum est in responsione ad tertium; sed potest Deum priuare bono solum extrinseco, & finito, ac debitum non priuandi Deum tali bono est simpliciter finitum; ergo habet malitiam solum finitam simpliciter.

40. Ad 7. respondeo argumentum nimis probare, cum probet etiam peccatum veniale esse infinitum, ac maius etiam bono incarnationis: siquidem nullum quamuis minimum peccatum veniale est licitè eligibile ad consequendum vllum bonum, etiam incarnationis.

41. Respondeo secundo, distingo antecedens: peccatum non est eligibile, neque permiffibile ad consequendum vllum bonum, nego: non est eligibile, sed est permiffibile, concedo; & nego consequentiam, ac retorqueo argumentum. Si peccatum haberet malitiam infinitam, non solum non esset eligibile, sed neque esset permiffibile ad consequendum vllum bonum; sed licet non possit licitè eligi, potest licitè, & honestè permitti, ac de facto permittitur à Deo; ergo &c. Ratio igitur, cur peccatum non sit eligibile pro vilo bono consequendo, non est, quia sit infinitum malum, vel quia sit malum maius quolibet bono creato, sed quia peccatum est malum essentialiter consistens in hoc, vt fiat, cum non potest licitè fieri; sed implicat, vt malum consistens in hoc, vt fiat, cum non

potest licitè fieri, possit licitè fieri ad consequendum vllum bonum etiam maius malitia peccati: eo enim ipso esset peccatum, & non esset peccatum, cum posset licitè fieri, & non posset licitè fieri; ergo peccatum licet sit malum finitum, ac minus multis bonis, non potest licitè fieri ad consequendum vllum bonum.

QVAESTIO XXXIII.

Virum pura creatura possit facere actus moraliter aequè bonos, ac meritorios, ac peccatum mortale est malum, & demeritorium.

1. **V**idetur, quod possit, vt docet Scotus in 3. dist. 20. quæst. vnica, & in 4. dist. 15. quæst. 1. & Caietanus 3. p. quæst. art. 2. primò quia quandoquidem malitia peccati consistit in priuatione honorationis Deo debitæ, tanta est malitia peccati, quanta est malitia priuationis, qua Deus priuatur honoratione debita; sed tanta est malitia priuationis, quanta est bonitas formæ, qua priuat; ergo tanta est malitia peccati mortalis, quanta est bonitas honorationis Deo debitæ hic & nunc; sed pura creatura potest facere actum bonum, quo reddat Deo tantam honorationem, quantum debet hic & nunc: siquidem non debet honorationem, quam non possit reddere; ergo pura creatura potest facere actum bonum, qui in bonitate meritorii sit æqualis malitiæ peccati.

2. Secundò, vt arguit Scotus: quantum bonum debebat esse in operante, tantum malum est peccatum; sed potest purus homo facere quantum bonum debebat esse in operante; ergo potest reddere tantum bonum quantum malum est peccatum.

3. Tertiò pura creatura non debet esse potentior ad malum per naturam, quam ad bonum per gratiam; sed si per gratiam non posset facere opus moraliter æquè bonum, ac est malum peccatum mortale, esset potentior ad malum per naturam, quam ad bonum per gratiam; ergo &c.

4. Quartò felicitas aterna, quæ est præmium actuum bonorum vt dignificatorum per gratiam, est maior in ratione boni, quam in ratione mali sit miseria aterna damnatorum, quæ est pæna actuum malorum; sed dicitur præmium condignum in bonitate æquale actibus bonis, ità pæna condigna in malitia est æqualis actibus malis: quod autem est æquale maiori, maius est eo, quod est æquale minori; ergo maior est bonitas actuum bonorum, vt dignificatorum per gratiam, quam sit malitia actuum malorum.

5. Quintò omne finitum ad æquari potest, & etiam excedi ab alio finito; si in finitum augeatur; sed malitia peccati mor-

talis est simpliciter finita, bonitas autem actus boni potest augeri in infinitum, tum multiplicando actus, tum eliciendo actus perfectiores, & perfectiores in infinitum; ergo &c.

6. Sextò non debet permitti malum magis ad eliciendum ex illo bonum minus; sed Deus sæpè permittit peccata mortalia ad eliciendum ex ipsis bona pænitentiae, humilitatis, iustitiæ vindicatiuæ &c; ergo actus pænitentiae, humiliationis, iustitiæ vindicatiuæ &c. non sunt minus boni, quam peccatum mortale sit malum.

7. Respondeo, quod si peccatum mortale haberet malitiam simpliciter infinitam, nulla pura creatura posset facere actum æquè bonum, ac est malum peccatum mortale. Sed quia diximus peccatum mortale habere malitiam simpliciter solum finitam, ac infinitam solum secundum quid, oritur præfens dubium, & quæritur, vtrum pura creatura possit facere actus æquè bonos, ac meritorios, ac est malum, & demeritorium peccatum mortale.

8. Dicendum primò: omnis actus moraliter bonus habet bonitatem infinitam secundum quid: omne peccatum mortale habet malitiam infinitam secundum quid.

9. Probatur: nam & actus honoratiuus crescit in bonitate ex dignitate personæ honoratæ, & actus inhonoratiuus crescit in malitia ex dignitate personæ inhonoratæ, ideoque honor præstitus digniori est melior, inhonoratio, qua inhonoratur persona dignior, est deterior; sed omnis actus moraliter bonus est honoratiuus Dei, vt vltimi finis, & vt primæ regulæ; Deus autem habet dignitatem infinitam; omnis actus moraliter malus est inhonoratiuus eiusdem Dei; ergo omnis actus bonus habet bonitatem quamdam secundum quid infinitam; & omnis actus moraliter malus habet malitiam quamdam secundum quid infinitam.

10. Dicendum secundò: quodlibet peccatum mortale habet malitiam moralem simpliciter maiorem bonitate cuiuslibet actus boni eliciti à pura creatura, etiam ex virtute gratiæ.

11. Probatur primò: nam actus honoratiuus crescit quidem in bonitate propter dignitatem personæ honoratæ, sed propter vilitatem honorantis, & propter eius distantiam ab honorato, non crescit, sed potius decrefeit: ex. gr. honoratio exhibita Regi à rustico est minus bona, minusque meritoria, quam honoratio exhibita Regi à viro nobili. At actus inhonoratiuus crescit in malitia, & demerito, non solum propter dignitatem personæ inhonoratæ, sed etiam propter vilitatem inhonorantis, & propter eius distantiam à persona inhonorata: exempli gratia actus, quo rusticus inhonorat Regem, est peior, ac magis demeritorius actus, quo Princeps contemnit Regem; sed omne pecca-

tum mortale est actus, quo creatura infinitè vilis, & infinitè distans à Deo inhonorat Deum, saltem sub ratione vltimi finis, ac primæ regulæ; ergo omne peccatum mortale habet malitiam quamdam infinitam secundum quid, non solum propter dignitatem Dei, sed etiam propter infinitam vilitatem creaturæ, & propter infinitam distantiam creaturæ à Deo; sed nullus actus moraliter bonus puræ creaturæ habet infinitatem secundum quid ex secundò capite; ergo nullus actus moraliter bonus potest per suam bonitatem adæquare malitiam moralem peccati mortalis, eo pacto, quo linea infinita solum versus vnâ partem, pura versus orientem, non potest adæquare lineam infinitam ex vtraque parte.

12. Probatur secundò: nam bonitas honorationis non crescit ex eo præcisè, quod honoratio sit debita, vel ex eo, quod sit magis debita, at malitia inhonorationis crescit ex eo, quod sit contra debitum honorandi, & ex eo, quod sit contra debitum magis, & magis honorandi: ex. gr. inhonoratio personæ eo est peior, quo tali personæ debetur maior honor, & maiori debito; sed creatura habet debitum secundum quid infinitum honorandi Deum, & Deo debetur honor maior, & maior in infinitum; ergo malitia peccati mortalis Deum inhonorantis habet quamdam infinitatem secundum quid etiam ex hoc capite, quia est contra debitum secundum quid infinitum honorandi Deum honoratione maiori, & maiori in infinitum; actus autem honorationis ex hoc capite non habet malitiam proportionaliter infinitam secundum quid, ac proindè nullus actus bonus potest suâ bonitate adæquare malitiam peccati mortalis.

13. Dices: sequeretur, quod habens minimum peccatum mortale esset moraliter magis malus, quam sit moraliter bona, & sancta Beata Virgo, & quælibet pura creatura possibilis sanctior, & sanctior in infinitum; quod est absurdum.

14. Respondeo distinguo: esset magis malus ex genere, concedo; esset magis malus in suo genere, nego. Potest aliquis esse melior altero ex genere, sed esse minus bonus in suo genere: ex. gr. quilibet homo imperfectissimus ex genere est melior quolibet perfectissimo equo: puta Theristes, qui est homo imperfectissimus, ex genere est melior Bucephalo, qui est perfectissimus, & optimus equus. Natura enim humana est altioris generis, quam equina, ideoque non potest vnquam adæquari à perfectione equina. At homo imperfectissimus, puta Theristes, in suo genere est imperfectior Bucephalo, cum Theristes in genere hominis sit perfectus vt duo, Bucephalus in genere equi sit perfectus vt octo. In casu nostro quilibet minimus peccator ex genere est moraliter peior, quam sit sancta Beata Virgo, quia ma-

litia moralis peccati mortalis, cum sit summa in genere malitiæ, est maior, & altioris ordinis, quam sit qualibet bonitas secundum puram creaturam, quæ non est summa in genere bonitatis. At minimus peccator in suo genere est minus malus, quam Beata Virgo sit bona in genere bonitatis moralis; nam minimus peccator in genere mali moraliter ex gr. est malus vt vnum, Beata Virgo in genere moraliter boni est bona, & sancta, vt mille. Confirmatur; nam bonitas moralis puræ creaturæ est in tertio genere boni. In primo enim genere boni est bonitas increata Dei; in secundo est bonitas humanitatis Christi, & bonitas actuum moralium Christi dignificatorum à Verbo; in tertio genere est bonitas actuum moralium puræ creaturæ dignificatorum à gratia; at malitia peccati mortalis est in supremo genere mali; ergo non est mirum, quod malitia ex genere suprema sit ex genere maior bonitate tertij generis. Addo omnes, qui dicunt malitiam peccati mortalis esse simpliciter infinitam, concedere, quod est maior, quam sint boni actus Beatæ Virginis, & cuiuslibet puræ creaturæ; ex ijs vero, qui dicunt malitiam peccati mortalis esse simpliciter finitam, plerique asserunt, quod in genere offensæ est maior, quam sit bonitas puræ creaturæ in genere meriti, & satisfactionis, ac proindè, nostram sententiam videri communjorem opposita.

15. Ad 1. concedo maiorem, & nego minorem, ac dico malitiam priuationis posse esse maiorem bonitate formæ, qua priuat, Probatum; nam priuatio eiusdem formæ eo est peior, quo talis forma est magis debita, eo est minus mala, quo minus est debita; ex gr. si idem honor debeatur Regi, & Principi inferiori, quia magis debetur Regi, quam Principi inferiori, peior est priuatio, qua Rex priuatur tali honore magis debito, quam priuatio, qua Princeps priuatur eodem minus debito; ergo priuatio, qua quis priuatur forma debita debito quodam infinito secundum quid, habet malitiam infinitam secundum quid, quæ proindè est maior bonitate talis formæ, cum talis forma non sit melior ex eo præcisè, quod sit magis debita; sed peccatum mortale priuat Deum honoratione debita debito quodam infinito secundum quid, ac proindè habet malitiam infinitam secundum quid; ergo peccatum mortale habet malitiam maiorem bonitate actus boni. Confirmatur; nam honoratio exhibita infinitæ dignitati non est melior ex eo, quod exhibeatur à persona infinitè vili, priuatio autem talis honorationis est deterior ex eo, quod persona infinitè vilis priuet honore debito personam infinitè excellentem; ergo priuatio honorationis debite habet malitiam maiorem bonitate talis honorationis.

16. Ad 2. ex Scoto nego maiorem. Peccatum enim est malum multò maius, quam sit bonum, quod debeat inesse operanti;

siquidem habet malitiam quamdam infinitam secundum quid ex eo, quod priuet bonum debito quodam debito infinito secundum quid, & ex eo, quod persona infinitè vilis priuet honoratione debita personam infinitè dignam, vt probatum est.

17. Dices; tanta est malitia inhonorationis, quanta est eius distantia per defectum honoratione debita; sed tanta est distantia per defectum ab honoratione debita, quanta est bonitas honorationis debite; ergo tanta est malitia inhonorationis, quanta est bonitas honorationis debite.

18. Respondeo concedo maiorem, & nego minorem; tanta est distantia per defectum ab honoratione debita, quanta est bonitas honorationis debite, nego quod est bonitas honorationis debite, & quod est moraliter ipse defectus, concedo; & nego consequentiam. Distantia albedinis à nigredine non est solum tanta, quanta est albedo, sed etiam quanta est nigredo, cum talis distantia compleatur ex albedine, & nigredine, & proportionaliter distantia per defectum inhonorationis ab honoratione debita tanta est, quanta est bonitas honorationis, & quanta est moraliter ipse defectus; sed defectus, defuit suam magnitudinem non solum ex eo, quod priuet tanta bonitate, sed etiam quod priuet tanta bonitate, quæ debita est debito secundum quid infinito; ergo distantia inhonorationis ab honoratione debita potest esse maior bonitate honorationis debite.

19. Confirmatur; nam defectus priuationis vt potè peior, magis distat à bonitate formæ, qua priuat, quam defectus purè negatiuus, qui est minus malus; sed hoc esset impossibile, si distantia defectus esset præcise tanta, quanta est bonitas formæ; ergo &c.

20. Ad 3. nego maiorem, quæ maior continet petitionem principij, hoc est contrarium nostræ conclusionis. Ratio, quæ creatura sit potentior ad malum per naturam quam ad bonum per gratiam, est quia pura creatura per naturam infinitè deficit à summo bono, ac proindè est infinitè defectiuosa; ergo non est mirum, quod possit facere actum malum infinitè defectuosum, habentem malitiam quamdam moralem infinitam secundum quid. At pura creatura per gratiam non infinitè, sed finitè solum accedit ad summum bonum, idque solum finitè participat; ergo non est mirum, quod non possit facere actum bonum habentem infinitatem secundum quid proportionalem infinitati, qua est infinita secundum quid malitia peccati. Nec hoc sequitur creaturam rationalem per suam naturam esse malam, sed solum sequitur esse bonam, vt per liberum arbitrium possit infinitè deficere à summa bonitate, & euadere infinitè mala secundum quid.

21. Ad 4. concedo maiorem, & nego minorem; sicut præmium in bonitate æquale actibus bonis, ita spæna condigna

malitia est æqualis actibus malis eodem genere æqualitatis, nego; diuerso genere æqualitatis, concedo minorem; & nego consequentiam. Præmium condignum non debet esse æquale merito æqualitate arithmetica, sed debet esse arithmetice melius merito. Probat, nam beatitudo cum sit vltimus finis, est melior actibus meritorijs, qui non sunt vltimus finis, sed media conducentia ad vltimum finem; sed beatitudo est præmium actuum bonorum; ergo præmium est melius merito, ac proinde non est arithmetice æquale merito; ergo dum dicitur præmium esse æquale actibus bonis, non asseritur, quod arithmetice sit æquale merito, sed solum asseritur, quod habet quamdam æqualitatem proportionis, per quam tanto merito proportionatur tantum præmium. Pœna condigna peccati non debet esse arithmetice æqualis actibus malis, & peccaminosis, sed debet esse minus mala. Ut scilicet cum S. Thoma docet communis opinio, quam nos sequemur qu. 34. proxime sequenti, malum culpæ est maius malo pœnæ, ac peius est mereri pœnam, quam puniri pœna. Et ratio est, quia pœna est medicina culpæ, & inuenta est vt medium ad hoc, vt vitetur culpa; sed malum maius imprudenter ponitur ad impediendum malum minus, & ad medendum malo minori, vel etiam æquali; ergo pœna est malum non maius, neque æquale, sed minus culpa. Dum dicitur ergo, quod pœna debet esse æqualis actibus malis, non asseritur, quod debet esse æqualis arithmetice, sed solum asseritur, quod debet habere quamdam æqualitatem proportionis, per quam tantæ culpæ proportionatur tanta pœna. Hinc sequitur diuerso genere æqualitatis præmium esse æquale merito, ac pœna sit æqualis demerito; siquidem præmium ita est æquale æqualitate proportionis, vt arithmetice sit melius merito; pœna ita est æqualis æqualitate proportionis, vt arithmetice sit minus mala, quam demeritum. Quia præmium est melius merito, pœna autem est minus mala, quam demeritum, ideo licet beatitudo, quæ est præmium, sit maior in genere boni, quam miseria in genere mali, meritum in genere boni potest esse minus bonum, quam demeritum, & peccatum in genere mali. Ratio est, quia licet, vt docet axioma commune, si vinco vincentem te, vincam etiam te, tamen non sequitur, quod si vinco eum, qui vincitur à te, vincam te; sed felicitas in ratione boni vincit miseriam, quæ miseria in ratione mali non vincit actus malos, sed ab ipsis vincitur; ergo non sequitur, quod felicitas in ratione boni vincat actus malos, ita vt felicitas sit maior in ratione boni, quam peccatum in ratione mali; sed felicitas in ratione boni vincit actus bonos, ac meritorios; ergo multo minus sequitur, quod actus boni vincant actus malos, ita vt in ratione boni sint magis boni, quam actus mali in ratione mali,

22. Ad 5. distinguo maiorem; omne finitum generis altioris potest adæquari, & etiam excedi ab alio finito inferioris generis, nego; quod non sit altioris generis, transeat; distinguo eodem pacto minorem; ac nego consequentiam. Finitum generis altioris non potest adæquari ab alio finito generis inferioris, etiamsi magis, & magis in infinitum augeatur: e. g. visio beatifica, quia est altioris generis, quam cognitio abstractiua Dei, non potest adæquari à cognitione abstractiua Dei, etiamsi magis, & magis augeatur in infinitum; sed malitia peccati mortalis est altioris generis, quam bonitas cuiuslibet actus puræ creaturæ; ergo &c.

23. Ad 6. distinguo maiorem; non debet permitti malum maius ad eliciendum ex eo solum bonum minus, concedo; ad eliciendum bonum minus non solum, sed inclusum in complexo bonorum, quod complexum sit bonum maius malo peccati, nego; distinguo eodem pacto minorem; & nego consequentiam. Deus nunquam permittit peccatum, nisi ad eliciendam ex eo tantam diuinorum attributorum manifestationem, vt bonitas talis manifestationis vincat malitiam peccati. Permittit ergo aliquando peccatum mortale ad eliciendos actus penitentis, humilioris &c. qui actus sunt bona minora malo peccati, sed non permittit ad elicienda solum hæc bona minora, sed ad elicienda etiam alia bona, ex quorum complexo ita manifestentur, & explicentur ad extrâ diuina attributa, præsertim misericordiæ, iustitiæ, sapientiæ &c. vt hæc manifestatio sit melior malo peccati.

24. Addo, quod vt dixi questione 54. de Deo peccatum mortale in genere mali est maius malo respectu peccantis, quam actus bonus puræ creaturæ sit honestus respectu honeste agentis: at respectu vniuersi peccatum mortale non est maius malo, quam sint multa bona, quæ Deus elicit ex peccato.

QVÆSTIO XXXIV.

Vtrum malum culpæ mortalis, & venialis sit maius, & magis odibile, quam malum pœnæ etiam æternæ?

1. **V**idetur malum pœnæ æternæ esse maius malo culpæ mortalis; primò quia æterna beatitudo, quæ est præmium actionum honestarum, est maius bonum, & magis amabile, quam actiones honestæ; ergo æterna miseria inferni, quæ est pœna peccati mortalis, est maius malum, & magis odibile, quam peccatum mortale.

2. Secundò malum æternum, & irreparabile est maius, magisque odio habendum, quam malum temporale, & reparabile; sed pœna peccati, hoc est æterna miseria est malum æternum, & irreparabile; ergo est malum maius malo peccati mortalis actualis, quod est temporale, ac reparabile.